Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

est ab escis eorum. ita ut neque potum quem ei propinabant umquam gustaret. Cum autem factus esset vir: convocavit omnes viros suos. et exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis dicens. Cur prohibuistis legem domini dei mei discere. et servire illi soli. Et si hactenus in vestra fui potestate. amodo tamen non obaudio vobis. deo volo servire. Et eduxit de exilio presbyteros et clericos cum gaudio magno. et aperte sunt ecclesie. et cepit gaudere religio christianorum. et diabolo plurima fiebant detrimenta.

Tempore autem illo multi sacerdotes de provincia bawariorum et de suevia. audientes famam de eo. confluebant cum reliquiis sanctorum et libris ad eum. Quibus omnibus habunde aurum et argentum. manstrugas et mancipia. et vestimenta hylariter prout unicuique opus erat prestabat. Hii quoque omnes magistri mirabantur in doctrina eius. Poterat namque imitator fore psalmiste qui in spiritu dixit. Super omnes docentes me intellexi. quia testimonia tua meditatio mea est. In cuius mente sola preciose margarite claritas fulgebat. Cuique dominus tantam gratiam conferre dignatus est. ut et plus victor existeret. vultu preclarus. corpore castus. ita ut celebs libenti animo vitam optaret finire. blandum habebat cum militibus eloquium. quos autem sciebat inmites. iniuriis redarguens mitigabat. Tunc autem frater eius iunior et peior nomine belezlaus. diabolica fraude deceptus. cum impiis malignum incidit consilium contra predictum beatum virum ut eum perderent. Erat namque sine querela verus dei famulus. et multos secundum apostoli precepta. arguendo. obsecrando. increpando. ad cenam patrisfamilias invitabat. eosque ereptos a diabolica potestate in gremio sancte matris ecclesie constitutos. assidue divinis dapibus nutriebat. illos in tabernis bibentes. et a doctrina recedentes. statim illos mense prius alligans districte flagris verberabat multis. et non in die neque in nocte ab oratione vacabat. Semper contra antiquum hostem scutum fidei sumebat. et invisibilem spiritus sancti gladium quod est verbum dei. Ipse vero sicut homo in estu diei fenum metens sitiet aquam. ita ipse procul dubio desiderabat martyrium percipere. sed non de manu fratris sui. quia nimio amore diligebat eum. et sciebat ob hoc eum minime gehennam evadere perpetuam. Eo namque tempore cogitavit templum edificare domino. et per nuntios sciscitavit urbis ratisponensis episcopum religiosum nomine tutum dicens. Pater meus edificavit templum domino deo. ego autem cum tua licentia similiter opto condere ecclesiam domino in honore sancti viti martyris christi. Episcopus autem toto expandit manus suas cum gratiarum actione ad dominum ovans et dixit. Ite narrate filio meo wenzlao dicentes. Iam ecclesia tua constat ante deum venustissime constructa. Cumque narrassent secundum iussionem episcopi valde gavisus est. et convocatis omnibus deo opitulante ipse incipiens. miro ordine fundavit ecclesiam in nomine sancti viti.

In tempore autem illo voluit ire romam. ut papa eum indueret vestibus monasterii. pro dei amore voluit relinquere principatum et dare illum fratri suo. sed non potuit propter ecclesiam prenominatam. quia nondum perfecta erat.

Tunc frater eius predictus sicut olim cum impiis facto consilio misit nuntium ut eum ad domum suam fraudulenter invitaret quasi ad convivium. sed potius ad necandum. Ipse autem et hoc certus erat. Et cum tempus venit proficiscendi ultimum. salutavit omnes amicos suos. et profectus est protinus. et illa die fuit in convivio cum his insensatis inimicis. Tunc quidam homo inclinans se ad aures eius dixit susurrando. Fuge domine mi quantocius. quia en modo hii volunt te occidere. Ipse vero noluit. sed rursum in convivium intravit. accipiensque calicem intrepidus. coram omnibus alta voce ait. In nomine beati michahelis archangeli bibemus calicem istum. precantes ut introducat animas nostras nunc in pacem exultationis perpetue. amen. In nocte quoque illa ante auroram diei fuit sicut et crebro normali usu ibat ad matutinam.

Occurrit autem ei frater eius ad quem dixit. Heri valde bene ministrasti nobis. habe multam gratiam a domino.

Ille quoque arrepto ense de vagina. et percutiens caput sancti viri respondit. Et sic hodie volo ministrare. Et vix sanguis emanavit. quia impotens erat pre pavore horribili. et beatus wenzlaus facile potuisset superare eum. quia et gladium abstulit de manu eius. sed noluit semetipsum polluere. Ille vero vociferabat dicens.

Fratres ubi estis. adiuvate me. Tunc malivoli omnes concurrentes de latebris cum gladiis et lanceis. multis vulneribus laniantes occiderunt. Cuius etiam anima in illo campo certaminis huius vite liberata de ergastulo. sanguine laureata migravit ad dominum. iii. kalendas octobris. Eius exanime corpus rapientes posuerunt in monumento. et eius innocentem sanguinem qui aspersus erat in terram et in tabulas aqua lavantes absterserunt. Cumque alia die mane surrexissent. tercia die rursum viderunt sanguinem fusum in loco predicto. quem tercia vice laverunt. Illi quoque forsitan cursu rapido venientes in civitatem pragam omnes amicos eius peremerunt. et clericos eius persecuti sunt ut scriptum est. Percutiam pastorem. et dispergentur oves.

Hii autem homicide qui eum occiderunt a demoniis agitati fugerunt. et ulterius non comparuerunt. alii ex illis latrantes ut canes et stridentes dentibus mortui sunt. alii autem ceci et surdi usque ad mortem permanserunt. Requievitque corpus eius in eodem loco tres annos. et visum est in somnis nonnullis ut transferrent illud ad ecclesiam quam ipse construxerat. Qui consurgentes media nocte corpus eius de sepulchro sumpserunt et posuerunt super plaustrum. et venerunt cum eo ad torrentem cuius inundatio extra ripam fluebat. et transire nequiverunt. Qui dum nimio merore obtenti quererent ligna ut pontem facerent. revertentes se viderunt trans torrentem plaustrum stantem cum sancto corpore. non humectum. Et quod nobis in hoc animadvertendum est. nisi omnipotentis dei virtute transportaverunt illud. Illi quoque aurige cernentes hoc prodigium valde mirati sunt. et sic venerunt